tem aliquam reportetis, vos facitis, jam hoc opus ſervile eſt, quod Divina Lex interdicit; peccatum eſt, quod Dominici diei ſanctificationem infringit. Neque minus falluntur, qui compotationibus, atque voluptatibus vacant, putantes voluptates, & oblectamenta nequaquam prohiberi, ut ea, quæ pro lucro obtinendo fiunt; & ſibi religioni minime vertunt, poſtquam divinis adfuere myſteriis reliquum diei ſpatium in aleas, venationes, theatra, aliaque id genus ſolatia traducere. Nonne enim apertiſſime conſtat has omnes nugas nihilo minus mentem noſtram avertere a divino cultu, & ſalutis noſtræ negotio, quam ſerias quaſcumque occupationes, ideoque nequaquam minus eſſe diei Dominicæ ſanctificationi contrarias? *Idem*.

Præceptum diei Dominici obſervandi nimis oneroſum non eſt.

Numquid nimis multa a nobis exigit Deus diem in qualibet hebdomada flagitans, quo ejuſdem cultui vacemus? hoccine nimis grave jugum eſt, & pondus nimis oneroſum? Longe aliter mundus agit cum ſectatoribus ſuis; illos jugi occupatione obrutos videre vult, ut ſibi graviſſimam ſerviant ſervitutem. At Deus ineffabili indulgentia permittit, ut ſex diebus urbanæ vitæ muneribus navemus operam, atque temporalibus negotiis invigilemus, & ſeptimum quemlibet ſibi tantum reſervat? Decetne, quin adeo benignę bonitati gratias habeamus, meliorem ſancti hujuſce diei partem in profanas, mundanaſque occupationes traducere? Hoccine eſt unice divino vacare cultui, horæ dimidium eidem impendere? an potius hoc eſt illum fraudare meliori ejus temporis parte, quod ſibi voluit reſervari? Numquid ad tempus adeo arctum redigenda eſt gratitudo, quæ illis pro tot benefactis debetur, quibus nos cumulat indeſinenter? Hunccine quieti ejuſdem adhibemus honorem, ut nulla ferme in re conſueta exercitia intercidamus? Numquid diei Dominicę ſanctificatio ad brevem tantum Miſſam coarctanda eſt? Itane vellemus famulos noſtros noſtris vacare negotiis, vel opifices nobis eos dies impendere, quibus illos conducimus? Hoccine eſt ſeſe terrenis expedire negotiis, ut cœleſtibus, ac ſaluti noſtræ melius invigilemus? *Idem*.

Cur Dominicæ diei feſtivitas inſtituta?

Verum quidem eſt Chriſtiani hominis vitam jugem eſſe debere divini nominis ſanctificationem, & omne illud tempus, quo in terris morari debet, ex S. Chryſoſtomi ſententia eidem eſſe debere perennem feſtum diem, quandoquidem eſſe debet imitatio, ac principium vitæ cœleſtis. Nihilominus, quia temporales neceſſitates noſtras avertunt cogitationes, neque ſinunt nos ſemper vacare Deo, uti Angeli faciunt; quoſdam elegit dies Deus, quos in honorem ſuum peculiariter dicatos voluit, & quibus nos ceſſare juſſit ab aliis operibus, ut omnino ejuſdem cultui vacaremus. Inter hos dies celeberrimus eſt ille, quem Dominicum appellamus, quaſi diem Domini diceremus; dies antonomaſtice, ita nuncupatus, quia eo die Deus præſtantiſſima edidit ſapientię, atque potentię ſuę opera. *Auctor Sermonum Chriſtianorum. Sermone hujus argumenti. Tomo 4.*

Cur hoc die a quovis corporali labore abſtinendum.

Poteſt profecto, immo, & debet coli Deus in ipſo labore: cum Chriſtiani ſecundum Evangelii regulam a Sancto Paulo prædicatam omnia, quæcumque faciunt in Jeſu Chriſti nomine, ac ſpiritu facere debeant. Sed quam difficile eſt, hominem, uti oportet, mentem ſuam ad Deum attollere, niſi ceſſet ab iis operibus, quę meliorem vitæ ſuę partem ſibi vendicant, ac prohibent, ne ſpiritu communes ſequatur preces, quas effundit Eccleſia ad Dei iram flectendam, ejuſque promerendam miſericordiam! Omnes anni dies Domini ſunt; ipſe dominus eſt temporis noſtri, ut bonorum noſtrorum, ipſiuſque vitæ dominus eſt; & inſignis eſt gratia, quam ſatis admirari non poſſumus, quod tantum nobis conceſſerit temporis, quo negotiis noſtris operam demus, & parum adeo ſuis reſervarit. Hinc facile intelligi poteſt quam nocentes ſint coram Deo, qui ſine extrema neceſſitate, vel aliqua charitatis cauſa impellente pro ſordido quæſtu æque Dominicis, ac reliquis diebus jugi labore exercentur. *Idem*.

Illuſio eorum, qui ſatis putant hoc die Miſſam audire.

Putatiſne, Fideles, vos ſatis ſuperque Dominicum, alioſque feſtos dies, quos præſcribit Eccleſia, coluiſſe cum nitidioribus induti veſtibus, mane properaſtis ſacris interfuturi Myſteriis, ut reliquum diei ſpatium aleæ, comeſſationibus, veſtriſque oblectamentis impenderetis? At quis non videt, Sabbathum hoc, quod omnes Deo dignas actiones excludit, non aliud eſſe quam feſtivitatem vitiis veſtris dicatam, & ex iis feſtivitatibus unam, propter quas Amos Propheta ſancto zelo ſuccenſus exclamavit: Vę vobis, qui tanta pompa Domum Dei Iſrael ingredimini! Væ vobis, qui cum diebus Dominicis ceſſare ab omni vitæ corporeæ cura, modeſte vivere, voſmet divini Verbi pabulo reficere, actionibus pietatis vacare debeatis, in ludos tantum, & aleas, aliaque oblectamenta mentem, animumque transfertis! Vę vobis, qui tot ſceleribus diem malum maturatis, qui vobis dies futurus eſt perditionis, & calamitatis; *Væ vobis, qui venturi eſtis in diem malum, qui tangitis Sabbathi mendacia. Idem Auctor Sermonum Chriſtianorum.*

Mundana ſolatia non minus his diebus interdicuntur, quam Eccleſias ſimilibus actionibus profanare.

Si loci ſancti noſtris non debent inſervire ſolatiis, divino quippe cultui ſacri ſunt; cur licebit, in eadem impendi tempus eidem cultui dicatum? Tempus, quod Divinæ Majeſtati dicavit Eccleſia, num minus ſanctum eſt, quam templum ab eadem illi dicatum? Rationes, quibus innixa conſuetos feſtis diebus labores prohibuit Eccleſia numquid pro venatu, impudicitiis, aleiſque non vigent? Dici profecto nequit, quemadmodum Sanctus Thomas argumentatur, ab Eccleſia ideo labores illos his diebus fuiſſe prohibitos, quia mali ſunt; e contra enim ſunt neceſſarii, atque per ipſum laborem ſanctificari aliquis poteſt. Iis ergo diebus prohibiti ſunt, obſunt enim, ne ſpiritus unice Deo, atque propriæ ſalutis negotio vacet. At profanum oblectamentum, minuſne idoneum eſt menti a Dei cogitatione avellendæ, quam ſit corporis labor? *Idem*.

Indignum eſt feſtos dies in ludis tranſigere.

Idololatrarum feſtis diebus nihil ſolemnius erat, quam ludi; hic erat dæmoni cultus jucundiſſimus; quippe plurimorum ſcelerum cauſa. Primus cultus quem a populo Iſrael expetiit, poſtquam hic a vera Dei religione receſſerat, Vitulum aureum adoratutus, ludus fuit prope Idolum ſibi conflatum adhibitus: *Et ſurrexerunt ludere*. Nonne igitur erubeſcendum eſſet Fidelibus ſanctos feſtivitatum dies in iis ſolatiis tranſigentibus, quæ dæmon pro peculiari ſuo cultu inſtituit, ac ſacrilega profanatione, veri Dei in dæmonis cultum convertentibus. *Idem*. *Exod. 32.*

Die Dominico ad examen ea ſunt revocanda, quæ reliquis diebus facta fuere.

In creatione Mundi Deus ſex diebus operatus eſt, die vero ſeptima, ut Scriptura teſtatur, ab opere requievit. At in quo hanc Domini requiem ſtetiſſe, refert Scriptura? In hoc: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Deus recenſionem inſtituit omnium operum ſuorum, eaque omnia bona, & perfecta invenit; atque in approbatione ſua ſuam reperit requiem. Hac præſertim in re a nobis eſt imitandus: relinquite opera veſtra ſervilia, atque ad examen revocate quidquid a vobis geſtum eſt per hebdomadam. Videte, utrum cum Deo dicere valeatis, quidquid a vobis elapſis ſex diebus factum eſt, bonum eſſe. Perpendite, utrum Deo, & proximo fideles fueritis, utrum ſtatus veſtri munera adimpleveritis, utrum in veſtris contractibus, & negotiis ulla interfuerit iniquitas; & poſtquam diligenti examine vos ipſos excuſſeritis, ea probate, quæ probanda ſunt, ea corrigite, quæ corrigenda; & reliquum diei ſpatium Domino offerte ſacrificia, ut vobis illum propitium efficiatis, utque frequentes ſpiritus evagationes, quas per hebdomadam paſſi eſtis, reparare poſſitis. *Idem*.

FIDE-

FIDELITAS
IN REBUS MINIMIS.

Cura in minutis etiam officiis obeundis, & exiguis defectibus evitandis.

MONITUM.

HOC argumentum tantam habet cum peccati venialis fuga rationem, ut diu anceps fuerim, utrum utrumque uno complecterer titulo. Rebus in minimis fidelitas comprehendit etiam curam minima evitandi mala, eaque peccata, quæ levia, & venialia vocantur: patet enim quidquid diſcriminis intereſt ad illud referri, quod genus inter, ac ſpeciem intercedit; videlicet alterum altero latius patere; verum hoc diſcrimen ſufficere mihi viſum eſt, ut ſeorſim de utroque agerem, licet plurimi Concionatores utrumque ſimul confundant.

Cæterum argumentum hoc ex illis eſt, quæ nova poſſunt vocari; quoniam Concionatores veteres hoc numquam pertractarunt, & obiter tantum de eodem verba fecerunt, & unus, quem ſciam, Sanctus Chryſoſtomus hujus argumenti integrum ſermonem edidit eo in loco, quem Paragrapho ſecundo memoramus, quod non prohibet, quo minus maxime neceſſarium, atque utiliſſimum ſit, religioſis vero præſertim, ac iis, qui pietatem profitentur. Sin autem hinc ſatis copiæ non ſuppetit, ut integer impleatur ſermo de fidelitate in minimis rebus adhibenda, conſulenda ſunt ea, quæ de peccato veniali a nobis dicentur; difficile enim eſt non dici multa, quæ ad utrumque argumentum pertineant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Syſtemata.

I. IN virtutum via duo inveni, quæ ut plurimum omnem earum exercitationem partiuntur, res ſcilicet magnas, & parvas. Inter magnas, quæ a nobis in pretio habentur, præclara recenſeo facta, puta animarum converſionem, bona opera, large in egenorum ſinum effundere eleemoſynas, civitates integras ſuo zelo inflammare, immenſos labores ſubire, ſummas pati auſteritates &c. Inter parvas autem adnumero in pietatis exercitiis diligentiam, in ſtatus ſui obeundis officiis curam cum exemplo conjunctam, vitam procul a mundi tumultu ducere, ac muneri ſuo non deeſſe &c. Accidit autem vulgo, ut cum æſtimatione, atque approbatione res magnas excipiamus; minutas vero ita modico habeamus in pretio, ut iis animum ne advertendum quidem, neque eam, quæ par eſt, curam illis impendendam eſſe cenſeamus. Quamobrem ſermo hic ad eos refertur, qui tamquam infirmos ſpiritus contemnunt illos, qui hujuſmodi rebus adjiciunt animum, atque intra pietatis, & ſtatus ſui officia ſe continent, & ad eos, qui magnas tantummodo res, virtuteſque nitentes conſectantur, & nugas putant, quæcumque exterius non fulgent. Qua in re duo oſtendenda ſuſpicio: primum, non minori virtute, vi, & conſtantia opus eſſe, ut in minutarum rerum praxi perſeveremus, quam ut magna quælibet audeamus, atque ad Religionis incrementum, mirum aliquid adnitamur: Alterum, Deo non minorem afferre gloriam in minimis rebus, quam in maximis, & quarum felix eventus admirationem conciliat, vigilantiam. Hæ duæ ſunt hujus ſermonis partes.

Pars prima: Non minus virtutis, fortitudinis, & conſtantiæ in minimis, quam in rebus maximis requiri. 1. Humana etenim mens ſuopte ingenio propoſiti ſibi operis magnitudine inflammatur, quod non modicam aufert difficultatem; ſperat, futurum, ut ſi votorum ſuorum ſummam conſequatur, perfruatur fructu laborum ſuorum, & felicis eventus gaudium pręclara eorumdem ſit merces. Sed in minutis rebus nihil nos animat, nihil exterius nos excitat: cum quæ exigua facta vulgatiora ſint; infrequentius illis ſeſe immiſcet jactantia, rectior, purior atque integrior intentio eſt; præterquam quod plurimæ virtutum actiones, licet modicæ, cum frequentes ſint, præclariſſimæ actionis meritum poſſunt exæquare, &c. 2. Quia in vulgata rerum minutarum praxi non minus adeſt laboris, & difficultatis, (ibi enim cura, & exercitatio jugis eſt, & ſine intermiſſione) quam in maximis, quæ raro tantum accidunt in vita. Facilius longe eſt ſibimet vim adhibere iis in occaſionibus, quæ ſemel, vel & iterum accidunt, quam ſemper diligentem eſſe, frugi, compoſitum, in minimis uſque muneribus; ad id enim opus eſt, ſeipſum indeſinenter ſuperare, contra ipſius ingenii noſtri ſtudia operari; cum hominum animus quantum libertatis ſuæ cupidus eſt, tantum vim ſibi facere perhorreſcat. Opus eſt ergo virtute magis conſtanti, meliuſque roborata, ut quis in rebus modicis fidelem ſe præbeat. 3. Difficultates, interioreſque curæ, quæ ſuperandæ ſunt in minimarum rerum praxi indigere videntur virtute fortiori, & fortitudine magis confirmata, ne quis faſtidiat jugem earum rerum, quibus nulla ineſt illecebra, exercitationem; ne tædio afficiantur vitæ ſemper uniformis; ut ſexcentis ſe regulis ſubjiciant, ex quibus nullam coram hominibus gloriam percipimus, & quę coram Deo non admodum inſignis meriti videntur eſſe, qua in re plurimi decipiuntur. 4. Quia in modicarum rerum exercitatione maxime etiam virtutes exerceri poſſunt, humilitas, patientia, mortificatio, charitas &c.

Pars altera; ubi oſtendendum eſt, in minimis rebus non minus quam in maximis Dei gloriam promoveri. 1. Ita enim teſtamur, nobis altiſſimam eſſe de Deo exiſtimationem, ac ſublimem de ejuſdem magnitudine conceptum, cum beatos nos exiſtimamus, ſi digni habeamur, qui minima etiam illi præſtemus officia. 2. Sæpe Deo minima æque ac maxima placent, atque oſtendere poſſumus nihil in oculis Dei parvum eſſe, ubi pro illius amore, & gloria fiat, præterquam quod de Deo idem dicendum eſt, ac de terræ hujus principibus, ac Dominis erga famulos ſuos; quorum fidelitatem in minimis rebus experiuntur, ſi nihil ab ipſis, vel leve negligatur, ac illis nihil oſcitanter unquam excidere deprehendatur. Accidit etiam non raro, quod ſummorum virorum benevolentiam nobis conciliamus, minutis officiolis, jugibuſque opellis, quam inſignioribus benefactis; hęc enim putant ſibi tamquam debita reddi, eas vero tamquam amoris argumenta. 3. In minoribus rebus minus ſeſe immiſcet philaucia; minus ea querimus, quæ noſtra ſunt; ideoque ad eas capeſſendas Dei tantum gloria, ſtudiumque eidem placendi nos poteſt impellere, & eam avertere nauſeam, quæ ut plurimum illas comitatur.

1. Negligentia in minutorum officiorum executione injuriam facit Sapientiæ Dei, quæ eas utiles, ac neceſſarias ſaluti, ęternæque noſtrę felicitati judicat. II.

2. Ejus lædit amorem, qui amoris noſtri diligentiam efflagitat, ne illi ulla in re diſpliceat.

3. Ejus lædit ſanctitatem, coram qua vel levis macula labes eſt turpiſſima.

In

BIBLIOTECA CENTRAL

III. In Dei cultu nihil minutum eſt.

2. Nihil exiguum eſt inter ea quæ rationem habent ad Deum adeo magnum, & quæ illi vel placere poſſunt, vel diſplicere. 2. Nihil exiguum eſt inter ea, quæ vel prodeſſe, vel obeſſe poſſunt negotio tanto, quale eſt ſalutis noſtræ, noſtręque perfectionis. 3. Nihil exiguum eſt inter ea, per quæ æternam gloriam, vel mereri, vel amittere poſſumus. *P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus.*

IV. Parva res non eſt ex rebus parvis fructum percipere.

1. Hoc oſtendit, virtutem ſummo haberi in pretio, ac nos ingenti ejuſdem amore flagrare.

2. Hoc ex parte quidem Dei non ſine peculiari gratia; ex parte vero noſtra non ſine fideli cooperatione fieri poteſt.

3. Ita majoribus progreſſibus aſſueſcimus, & ad ſublimiores virtutis gradus adnitimur. *P. Dozzene in Morali Jeſu Chriſti.*

V. Oſtendi poteſt in minimis rebus negligentia; primum in corruptione cordis, deinde in effectibus ejus.

Quod ad primam attinet, proficiſcitur, 1. ex modica divinarum rerum exiſtimatione; 2. ex æternæ ſalutis incuria; 3. ex magna in Domini cultu tepiditate. Hæ communes ſunt cauſæ, propter quas minutæ res contemnuntur.

Punctum alterum. Hæc eadem negligentia in effectibus ſuis poteſt conſiderari: Aufert occaſionem, & animam conandi magna. 2. Efficit, ut nihil unquam pro Deo fiat; majores enim occaſiones raro accidunt, & ſi minores contemnantur, quid fiet? 3. Efficit, ut mox in graviora mala decidatur: *Qui ſpernit modica paulatim decidet.* *Eccli. 19.*

VI. 1. Fidelitas ſervi Dei in minimis melius ſeſe, quam in maximis prodit.

2. Dei magnificentia magis elucet in mercede, quam minimis virtutum actibus largitur, & pollicetur; quoniam totum Regnum ſuum pro aquæ ſypho, atque æternum glorię pondus pro levi tribulatione, quam propter amorem ſuum perferimus, erogat.

VII. 1. In prima parte oſtendendum eſt, Deum ad cordis noſtri ſuperbiam conterendam integram expetere ex nobis omnibus cum magnis, tum minimis legibus ſuis obedientiam.

2. In altera vero; Ut mentis noſtræ cęcitati medeatur, jubet, ubi de religione, & conſcientia ſermo eſt, nihil eſſe modicum, nihilque contemni poſſe citra reprobationis periculum. *Duplex hæc veritas conſtituit partitionem Sermonis, quem Pater Bourdalove edidit hujus argumenti.*

VIII. Oſtendi poteſt, 1. Nullum eſſe tam leve malum, quod effugere, quam maxime noſtra non referat. 2. Nullum eſſe tam modicum bonum, quod exercere nobis non maxime proſit. *P. Girouſt in hoc argumento.*

IX. 1. In priori parte oſtendendum eſt ex leviſſimis etiam malis graviſſimos effectus exiſtere, eaque ſenſim ad quæcumque funeſtiſſima extrema deducere. 2. In poſteriori vero, minima quæpiam, cum de ſanctitate ſermo eſt, maximis virtutibus materiam ſuppeditare, ac efficere, ut veluti per gradus ad perfectionis apicem aſcendamus; unde ſequitur in Dei cultu nihil eſſe negligendum. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta.*

X. Minimarum rerum negligentia ſæpe ad graviſſima adducit mala, 1. Imminuendo in anima Dei metum, qui iteratis levibus offenſionibus deficit; 2. tepefaciendo ignem amoris Dei, atque nutriendo in anima incuriam, quæ efficit, ut graviſſimis etiam jacturis non afficiamur. 3. Auferendo ſenſim honorem, quo naturaliter vitium perſequimur.

XI. 1. Qui minima contemnit, oſtendit ſe non ſatis dignum de Chriſtiana Religione, ac ſtatus ſui dignitate conceptum fovere. 2. Salutem ſuam in apertiſſimum adducit diſcrimen; unde ſequitur nullam eſſe noxam, quæ levis cenſenda ſit, & nullam virtutis actionem, quæ ſit inutilis, vel modicæ utilitatis.

XII. 1. Cura, quam in minimis etiam adhibemus, hoc eſt, qua minora evitamus peccata, atque minimis pietatis officiis perfungi quærimus, indicio eſt nihil nobis antiquius eſſe ſalute noſtra. 2. Ardenti nos charitate flagrare, quia rebus in omnibus Deo placere ſtudemus. 3. nos acquirere, vel brevi eminentem virtutem acquiſituros.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde elici materia poteſt ad propoſitas Concionum partitiones ornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Auguſtinus, *Epiſt. 108. ad Seleuciam.*
Sanctus Joannes Chryſoſtomus, *Homil. 87. in Matth.*
Sanctus Baſilius, *Serm. de renunciat. Sæculi, & ſpir. perfect.*
Idem, *In Conſtit. Monaſt. cap. 2.*
Caſſianus, *Coll. 6. Abbat. Theod.*
Sanctus Leo, *In Extrem. Epiſtol. 86. ad Nicætam.*
Idem, *Epiſt. 54. ad Marcian. Auguſt.*
Sanctus Bernardus, *de ordine vitæ, & morum inſtitut.*

Aſcetici aliique.

A. Rodriguez, *De Perfect. p. 1. tr. 1. c. 9. & 10.*
P. de Bary, *in Solitud. Philagiæ diſſert. 1. diei primæ.*
Granatenſis, *Tract. de Oratione cap. 5. §. 17.*
P. Guillorè in Operibus Spiritualibus ad calcem peculiarem habet de minimis rebus tractatum.
Abbas Trappenſis in Vitæ Monaſticæ Officiis, *cap. 6. de Amore Dei quæſt. 3.* hoc tractat argumentum.
Pater D'Ozzenes libro, cui titulus, *La Morale de J. C.* titulo de criminum levium fuga.
Pean l. cui titulus *l'Ecole de J. C. cap. 14.* de Spirituali progreſſu.
J. Nigronus in ſpeciali Tractatu, *De cura minimorum.*
Nicolaus Lancicius, *opuſc. 2. in proœmio.*
Idem, *opuſc. 5. cap. 9. & 10.*
Dandinus, *In Ethic. Sac. lib. 48. cap. 38.*
P. Croiſet, *t. 1. Conſiderat. Chriſtian,*
P. Nepveu, *Tom. 1. Conſiderat. Chriſtian. pro 20. die Martii.*
Abbas Trappenſis in Moralibus Conſiderationibus in Evang. S. Lucæ in hæc verba: *Qui fidelis eſt in minimo & in majori fidelis eſt.*
P. Surin, *t. 2. Dialog. Spiritual. l. 5. cap. 4.*

Concionatores recentiores.

P. Bourdalove Serm. pro feria 2. poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam in primis ejuſdem ſermonibus.
P. Girouſt in Quadrageſima Tom. 3. Serm. pro Dominica Paſſionis.
Abbas de Sancto Martino Serm. de devotione pro feria quarta poſt 4. Quadrag. Dominicam.
Auctor Actionum Chriſtianarum in S. Thereſiæ Panegyrico.
Auctor Sermonum in omnia Chriſtianę Moralis argumenta Serm. pro Dominica ſexta poſt Epiphaniam loquitur de minimorum cura, ac docet in Dei cultu nihil eſſe contemnendum.
In Collectione Orationum Academiæ Gallicæ oblatarum anno 1701. ſex adſunt ſermones de cura minimorum.

Qui collectanea ediderunt.

Lohner, *Titulo Minimorum Cura.*
Beirling. *In Theatro vitæ humanæ.*
Qui de veniali peccato diſſeruerunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

PRO nihilo ſalvos facies illos (id eſt pro minimo opere.) Pſal. 55.
Qui timet Deum, nihil negligit. Eccl. 7.
Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Cant. 4.
In pigritiis humiliabitur contignatio. Eccl. 10.
Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19.
Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. Eccli. 29.
Lapis qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus. Daniel. 2.
Fons parvus crevit in fluvium maximum. Eſth. 11.
Decet nos implere omnem juſtitiam. Matth. 3.
Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Matth. 10.
Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Matth. 25.
Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis eſt. Luc. 16.

Et qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt. Ibidem.
Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum glorię pondus operatur in nobis. 2. ad Corinth. 4.
Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit. Jacobi 3.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deſumpta.

Deus Adæ magnum irrogavit de re minima præceptum.

IN ipſis mundi primordiis Deus, ut primus homo recordaretur ſe ab ipſo pendere, magnum irrogavit illi præceptum non ſine graviſſimorum ſuppliciorum minis in re ſatis levi, qualis erat, ne ex quodam fructu, eidem indicato veſceretur. Nonne mirum eſt, illi, quem creavit Deus, ut animantibus cunctis pręeſſet, ſui ipſius, ac rerum omnium, quæ ſuper terram erant, Dominum, non licere veſci fructu, quem ob oculos habet, quin interdicti ratio ulla afferatur? Probabile eſt, ipſum multa ſecum animo reputaſſe de hoc præcepto, a quo omnis poſteritatis ſuę felicitas proficiſcebatur, & quo collata ſibi a Domino poteſtas coarctabatur. Non alia quærenda ratio eſt, Sanctus Auguſtinus ait, niſi quod Deus illius erat Dominus, atque ut homo melius ſentiret ſe ab eo, a quo eſſentiam habuerat, pendere, magnum illi de re minima pręceptum irrogaverat, ut doceret non magnitudinem, neque mediocritatem rerum earum, quæ jubentur, aut vetantur, ſed Legiſlatoris auctoritatem commendare debere legem, & nihil exiguum eſſe, quod a Deo pręcipitur, & pertinet ad cultum ejuſdem.

David acceptum obtulit ſacrificium Deo aquæ quam ſitiens bibere noluit.

Viſne ſcire quam acceptum ſit Deo ſemet levi aliqua propter ipſum voluptate fraudare? Memento ſacrificii illius, quod obtulit David parum aquæ bibere recuſans. Rex iſte adverſus Philiſtinos prælium miſcebat, cum viribus exhauſtus, ac ardenti ſiti vexatus vix ſignificavit deſiderium bibendi aquam ex ciſterna Bethleem, cujus præ ſiti, qua urebatur, tunc forte meminerat; cum tres ex fortiſſimis militibus ſuis via ſibi facta per medios hoſtes tranſitum ſibi præcludentes ad hauriendam aquam Bethleem proficiſcuntur, hauſtamque ſitienti offerunt Regi. Hic tamen animo reputans periculum, quod ſtrenui milites illi ſubierant, noluit voluptatem hanc adeo charo pretio comparare, & aquam ne guſtatam quidem effundens, illam Domino, ut Scriptura ait, obtulit in ſacrificium: *libavit eam Domino.* *2. Reg. 23.* Quod oſtendit, non id tantum, quod pro Domino fit, quam modum, quo fit, Deo acceptum eſſe, & jucundum.

Minima non contemnenda probatur exemplo mulieris fortis. Prov. 31.

Mulier fortis, cujus elogium in Scripturis adfert Spiritus Sanctus, hunc nequaquam ſibi promeruit titulum heroicis quibuſdam actionibus, aut præclare geſtis, ut olim Judith, ac Debora, neque laboribus invicta conſtantia exanthlatis, ſed minutis actionibus, ac iis præſertim, quæ ſexum decent muliebrem: *Digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Et magnificentia, qua Deus in Cœlo, ac ſæpe etiam in terra eas remuneratur opellas, quæ ſibi præſtitæ ſunt, palam oſtendit nihil exiguum eſſe, nihilque contemnendum; ille enim, qui omnia æquis lancibus ponderat, illas æterno gloriæ pondere, quod nullam cum ipſis rationem videtur habere, compenſat.

Exemplum Naaman negligentis remedium ſibi ab Eliſeo præſcriptum, quia nimis leve videbatur.

Naaman, de quo ſermo eſt quarto Regum libro, magnus erat exercituum Imperator, qui lepra percuſſus ex Syria cum magnifico comitatu ad Eliſeum Prophetam venerat, ut ab eodem celerem, tutamque medicinam reciperet. Sed cum Propheta, neque de cubiculo ſuo illi obviam deſcendere ferme dignatus eſſet; ſatiſque duxiſſet ad eum mittere famulum ſuum, qui illi nuntiaret futurum, ut, cum ſepties in Jordane fuiſſet ablutus, curaretur; hujuſmodi reſponſum ita Principem illum virum offendit, ut quæ ſibi ab Eliſeo fuerant imperata negligeret: & re infecta rediiſſet in Syriam, niſi quidam ex miniſtris illius audacter illum ita increpaſſet: Domine, ſiquid arduum, atque difficile tibi Propheta imperaſſet, illud ſane facere debuiſſes; cum autem parva, & facilia imperet, quam excuſationem afferre potes, ſi illa contemnas? Monitum hoc, adeo prudens Naamano viſum fuit, ut miniſtri hujus argumentis victus ad Jordanem ſepties abluendus conceſſerit, ablutuſque ab omni prorſus morbo convaluerit.

In Scripturis plurima extant exempla probantia aliorum quidem in minimis fidelitatem maximis exceptam fuiſſe muneribus; aliorum vero negligentiam ſæviſſimis addictam fuiſſe ſuppliciis: verum cum hæc exempla peccati venialis argumentum propius attingere videantur, cum de eodem agendum erit, tunc afferentur.

Exemplum Salvatoris mundi.

Diligentia in minimis etiam rebus ſervandis nullibi major viſa eſt, quam in ipſo Evangelicę Legis Auctore, qui eſt mundi Salvator. Non ſatis ille cenſuit, hanc præſcribere, & commendare fidelitatem in minimorum etiam officiorum exercitatione; ipſe eorum religioſiſſimus fuit obſervator; ita ut hac in re præſertim de ipſo dici queat: *Cœpit Jeſus facere, & docere.* *Actor. 1.* Si enim a fidelibus exigit perfectam in rebus minimis fidelitatem, hoc tunc præſtat, cum jam primus ejuſdem præbuit exemplum. Hoc aperte teſtatus eſt, cum Pręcurſori ſuo S. Joanni Baptiſtæ reſpondit, ubi ſeſe demittere dignatus eſt, ut ab eodem baptiſmate ablueretur, quod ille facere detrectabat ſeipſum tanto honore indignum exiſtimans: *Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam;* *Matth. 3.* hoc eſt, decet enim, me minima etiam officii mei munera adimplere. Quoties ille deinde perfectam hanc fidelitatem commendavit? Quibus elogiis eos proſecutus eſt, qui eamdem ſervarunt? Quam illis mercedem ſpopondit? Satis eſt animum advertere ad talentorum parabolam, ut hoc liquido innoteſcat: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* *Matth. 25.*

Per minutarum rerum obſervantiam Sancti fieri poſſumus.

Beatiſſimæ Deiparæ, aliorumque primi Ordinis Sanctorum exemplum palam oſtendit de meritis, & ſanctitate judicium non ſemper eſſe ferendum ex magnis actionibus, ex glorioſis muneribus, ex externa ſpecie quę fulgore ſuo intuentium perſtringit oculos, atque hominum exiſtimationem, & admirationem ſibi conciliat; namque ad altiſſimum ſanctitatis apicem attolli poſſumus communem vitam ducentes, & ea facientes, quæ uni Deo comperta, explorataque ſunt, qui de illis judicat ex eo, quod reale, ac ſolidum in ipſis eſt, non autem ex exteriori nitore, qui ſemper fucum facit, ac fallit. Sed ſumma fide eam adimplentes, quæ Deus exigit a nobis, voluntatem illius perficientes, omniaque ſtatus noſtri munera rite obeuntes, mercedem nobis a Patre paratam meremur. *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.*

Evangelii Symbola indicantia magnos rerum minimarum effectus.

Non deſunt in Evangelio ſymbola indicantia, minima quęlibet, & quæ in hominum oculis maxime contemptibilia videntur ſive in bono, ſive in malo ſenſim creſcere, vel magnos, & non contemnendos effectus habere. Granum ſinapis, quod minimum eſt inter ſemina, ex quorumdam Patrum ſententia, naſcentem repræſentat Eccleſiam, quæ exiguis profecta initiis, ſeſe in omnes terras effudit; vel ut alii malunt, parvum hoc ſemen indigitat minimas actiones noſtras propter Deum, & in Dei gratia factas meritis fœcundas eſſe, ac beatę ęternitatis fructus producere. Modicum fermentum totam farinę maſſam, cui immiſcetur, corrumpit; quod innuit nullam virtutem, leviſſima licet ſit, nullum defectum, vel tenuiſſimum, contemnendum eſſe; quia exiguum vel bonum, vel malum graviſſimos poteſt pro noſtra felicitate, vel infelicitate æterna fructus producere.

Applicationes.

Quomodo leves defectus ſæpe graves gignunt effectus.

QUI ſpernit modica, paulatim decidet. *Eccli.* 19. Nituntur ſuadere quidam, tenuem defectum, peccatum leve nihilum eſſe; hoc ipſum protoparentibus noſtris dicebat dæmon; attamen perpendite quæſo quinam fuerint ejus inobedientiæ, quæ in ſpeciem leviſſima videbatur, effectus. Primi illi peccatores mortui ſunt, quod illam commiſerunt; omniſque eorum poſteritas mortua eſt, & quotidie moritur, quin aliquis evitare poſſit communem hanc legem jam ex tunc contra omnes homines latam; quorum maxima pars, licet pro illis mortem ſubierit Deus, tamen damnabitur propter funeſtum primi illius peccati influxum, quæ cauſa eſt cæterorum.

Sæpe levis ſatis eſt defectus, ut præclarum opus corrumpatur.

Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus. *Jac. 2.* Hæc verba, quæ optime ad alia etiam transferri poſſunt argumenta, hoc minime dedecent. Et ſane quemadmodum qui monetæ partem adulterat, eam omnino adulterinam facit, atque commercio inutilem, & qui ſacri Vaſis partem corrumpit, totum vas profanaſſe dicitur: ita qui non totam le-

BIBLIOTECA CENTRAL

gem obſervat, eam minime obſervat .... Defectus, qui leviores exiſtimantur, majoribus gravioribuſque flagitiis aperiunt viam ex ipſius Jeſu Chriſti teſtimonio aſſerentis eum qui in minimo fidelis eſt, & in maximo fidelem eſſe, & qui in minimis rebus ſe præſtat infidelem, hunc proculdubio, & in majoribus infidelem futurum, ſeu quod hoc a voluntate proficiſcatur, quæ ad majora patranda ſcelera pronior eſt, ubi minoribus aſſuevit, ſeu a Deo procedat, qui ſuas gratias imminuit, & minora crimina majoribus punit.

Bonorum ſanctitas ſæpe non aliud eſt quam exiguorum actionum bonarum congeries.

Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut inferri ſolet acervus tritici in tempore ſuo. Job 5. Sanctus vir Job affluentiam, ſpiritaleſque divitias religioſi hominis, qui poſt diuturnum virtutum omnium uſum, tandem ſenectute confectus ad plures abit, acervo tritici comparat, quem opulentus homo peracta meſſe infert in horrea. Frugum acervus ex minimis coaleſcit ſeminibus; quid enim eſt quodlibet granum ſeorſim acceptum? Ita fidelium animarum ſanctitas, & eorum, qui vere Dei ſervi ſunt, religio ut plurimum in minutis tantummodo exercitationibus conſiſtit, quæ ſingillatim inſpectæ non magno in pretio videntur habendæ; quod videlicet ferre ſciunt cum patientia repulſas quaſdam, ac ſatis leves injuſtitias; quod ſenſibus ſuis quaſdam denegant curioſitates, ac oblectatiunculas, quas Deo offerunt in ſacrificium; quod ſibimet vim inferunt; quod quibuſdam in rebus in quibus jugi opus eſt vigilantia, non deficiunt. Hæc omnia ſimul collecta quemlibet diem ſanctificant; dies vero ſanctificati annos ipſos ſanctos efficiunt.

Quam pernicioſa ſit in modicis rebus negligentia.

In pigritiis humiliabitur contignatio. *Eccli.* 10. Spiritus Sanctus ſignificaturus nobis eos, qui modicos defectus contemnunt paulatim in majora lapſuros crimina, ac denique in certum interitum abituros, hac utitur ſimilitudine: Ædificium non repente ſubvertitur; at niſi diligenter tecti ejuſdem ſciſſuras reparare ſtudueris, putreſcet imbribus, contignatio fatiſcet, ac domus ſecum ruinam trahet. Opus non eſt fuſius hanc perſequi ſimilitudinem, quæ facile poteſt applicari: ſed facile inde poteſt inferri in rebus minimis negligentiam pernicioſiſſimam eſſe, eamque per gradus ad graviſſimum interitum nos deducere poſſe.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

IN *minimis probandum eſt conflictibus, quam viriliter in majore certamine ſtare poſſimus.* Ambroſ. l. 1. Offic. c. 19.

Neſcio an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Hieron. Epiſt. ad Calant.

Præcaviſti magna, de minimis quid agis? An non times minuta? projeciſti molem, vide ne arena obruaris. Auguſt. in Pſalm. 29.

In minimo fidelem eſſe maximum eſt. Idem, l. 4. de Doctr. Chriſti, cap. 1.

Regnum Cœlorum venale eſt, pretium ejus calicem aquæ frigidæ Deus eſſe voluit. Idem, Homil. 13.

Si curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, etiam majora audenter pertractamus. Greg. l. 20. Moral. cap. 9.

Nihil eſt minutum, quod Dei cauſa fiat; ſed grande, & ejuſmodi, quod Cœlum nobis & cœleſtia præmia conciliet. Baſil. Conſt. Monaſt. c. 24.

Parva petens, maxima redditurus. Chryſoſtom. Serm. 5.

Mos Dei eſt dare magna pro parvis; Dominus noſter non quantum detur conſuevit attendere, ſed voluntatis largitatem, & ob hoc etiam parva magni facit. Idem, Homil. 42. in Geneſ.

Deus non poſtulat a nobis quod pretioſum ſit, aut ſumptuoſum, ſed panem, ſed tectum. Idem, Hom. 44. in Geneſ.

Nemo repente fit ſumus. Bernard.

A minimis incipiunt, & in maxima proruunt. Idem, de ord. vit. & mort.

Ne quis parva reputet quælibet parva, ſi ſcienter delinquere convincatur. Idem, in Sermon. de Converſ. S. Pauli.

Perfectæ & ſinceriſſimæ ſanctitatis cultores ſuos volens facere Salvator, juſſit ab iis cautiſſime etiam minima vitari, ſcilicet ut quam pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſet Chriſtiani hominis vita. Salvian. l. 3. de Provid.

Juſti, parvis actionibus magis Deum placant ac flectunt, præ nonnullis, qui multa faciunt. Non enim ad actionem reſpicit Deus, ſed ad propenſionem voluntatis, & non intuetur quod fit, ſed quo ſtudio ac propenſione peragatur. S. Ephrem, Serm. de Pœnit.

Sicut paulatim homo a minimis vitiis in maxima proruit, ita a modicis virtutibus gradatim ad ea quæ ſunt excelſa contendit, S. Iſidor. l. 2.

Ubi minima diſtricte cuſtodiuntur, ibi vigor ordinis permanet; ubi vero minimi exceſſus negliguntur, ordo paulatim diſſipatur. Anſelm. lib. 3. Epiſt. 49.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi poſſit.

Quid intelligendum pro minimis rebus, in Dei cultu non negligendis.

PArva ea dicuntur, quæ in communi hominum ſenſu exiguo habentur in pretio; quæ vulgo negliguntur, vel ſaltem nobis nequaquam plurimum negotii faceſſunt. Horum autem duplex eſt genus, alia enim per ſe parva ſunt, ſed plerumque non contemnendæ neceſſitatis; alia re ipſa parum utilia ſunt, ideoque vere parva. Sæpe malum in ſe parvum erit, hoc eſt non erit grave peccatum; bonum parvum erit, hoc eſt non admodum difficile, neque per ſe ſatis laude dignum, & nihilo ſecius effectus eorum parvi non erunt. Hæc quæ parva appellantur, & quæ nihilominus admodum neceſſaria ſunt, ad tria capita redigi poſſunt; hoc eſt ad defectus, ad actus virtutum, quæ quibuslibet in occaſionibus exerceri poſſunt, & ad affectiones, quibus in rebus ferventes animæ fidelitatem ſuam Domino teſtantur.

Cur parvi defectus negligendi non ſint. *Eccli.* 19.

Nullus eſt defectus, quantumvis leviſſimus, qui toto induſtriæ niſu evitandus non ſit, de illis enim protulit Spiritus Sanctus effatum illud: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*, hoc eſt graviora committet. Et conſtat ratio; facilitas enim, qua levia committuntur peccata, ſenſim ad graviora patranda diſponit, & levis ea fides, quam in Dei cultu præ nos ferimus, eum cogit, gratiarum ſuarum partem nobis ſubtrahere, ſine quibus ſumus imbecilles, & facile cadimus. Præterquam quod crimen quod in hominum oculis leve eſt, non tale eſt in judicio Dei.

De parvis actibus, levibuſque affectionibus.

Idem affirmandum eſt de parvis occaſionibus quemcumque virtutis actum exercendi; perfectus enim amor nihil omittit eorum, quæ Deo placere poſſunt, nihilque eorum patitur, quæ poſſunt eidem diſplicere. Ideo fervens Dei amor voluntatem Dei ſcrutari deſiderat, ut eam exequatur; non perpendit, utrum quod vult Deus, magnum ſit, an parvum; ſufficit eiſdem ſcire, hoc Deum velle, ac divinum dumtaxat ſpectat imperium. Nihil in hoc leve ducit, & omnia illi magna videntur. Quod ad affectiones pertinet; hoc eſt ſpiritualis vitę magiſtrorum commune effatum, illum, quicumque in ſe aliquam vel levem cognoſcit cujuſcumque rei affectionem, eamque non conatur evellere, ſe ipſum magno privare bono, ſibique inſignem injuriam inferre; quæcumque enim licet leviſſima affectio eſt quædam noſtri amoris particula, qua Deum fraudamus, illam in creatas res traducturi; ideoque magnum eſt perfectionis impedimentum.

In hoc argumento aliter de virtutibus ac de peccatis eſt differendum.

Ne noſmetipſos decipiamus, parvuli pietatis actus non ſunt mediocris meriti coram Dei niſi propter teporem, & negligentiam noſtram, non autem propter ipſorum parvitatem ſeu talis re ipſa ſit, ſeu in ſpeciem talis videatur. Hac in re de virtutibus longe aliter ac de peccatis arguendum eſt. Sexcenta exigua peccata, quæ levia, & venialia vocamus, unum mortale nequaquam efficiunt; hæc enim duo peccatorum genera diverſi ſunt ordinis, neque ulla inter ea inveniri poteſt proportio; at non ita de virtutibus differendum eſt. Actiones omnes, quæ ad eleemoſynam, exempli gratia, vel pœnitentiam referuntur, omnes ſunt inter ſe ordinis ejuſdem, ad idem referuntur objectum, intra virtutis ejuſdem limites continentur. Hinc inferendum eſt, plures actiones, licet parvas, actionis alicujus majoris meritum vel æquare poſſe, vel etiam ſuperare.

Leves defectus nonnumquam magis ſunt metuendi, quam majores.

Sancti Chryſoſtomus, atque Gregorius id aſſerunt, quod primo quidem intuitu veræ Theologiæ principiis minime conſonum videri poterit, cum nihilominus ſolidiſſimæ ſit veritati conforme, plurimos videlicet eſſe, quibus majora peccata quodammodo minus metuenda ſunt, quam minora. Et conſtat ratio; primorum enim enormitas per ſe horro-

rem

rem ciet, cum aliis vero quamdam veluti conſuetudinem inimus, & diuturno uſu nos ſenſim in ea ſcelera detrahunt, unde vix, ac ne vix quidem fortaſſe emergere poſſumus.

Occaſiones maximarum actionum infrequentes ſunt, minimarum vero crebræ.

Magnæ occaſiones, quæ magnis actionibus aperiunt viam, non ita paſſim occurrunt, immo compluribus numquam ferre ſeſe offerunt. Velle igitur tunc tantum bene facere, cum adeo infrequentes adfuerint occaſiones; nonne hoc eſt omne virtutum ſtudium prorſus abdicare, ac in iiſdem ſeſe nolle unquam exercere? Numquid ſalutem noſtram certam facere, nobiſque Cœli gloriam comparare poſſumus, cum nihil ad eam promerendam adnitamur? E contra vero parvæ occaſiones exercendæ lenitatis, patientiæ, humilitatis, charitatis, zeli in ſingulos ferme gradus nobis obviam occurrunt, in ſingula fere momenta ſe nobis offerunt; ideoque eas capeſſere idem eſt, ac ex vita ſua jugem pietatis exercitationem efficere.

Parvæ actiones puriori fiunt intentione.

Modicę actiones, eæ videlicet, quæ minus nitent, fieri poſſunt, & ſæpe etiam fiunt unice propter Deum, nullamque earum partem ſibi aut vanitas vindicat, aut jactantia. Nos non allicit fulgor quidam, qui primum quidem mentem perſtringit, mox vero ipſam excitat voluntatem. Deus unus ibi nos regit; & quo purior eſt cauſa, eo purior eſt actio, ac divinis oculis acceptior.

In modicis actionibus major eſt mortificatio, quam in majoribus.

Videtur etiam in modicis actionibus plus mortificationis eſſe, quam in magnis. Primum, quia nihil humanum ad illas nos cogit; Secundo, cum earum ſit frequentior occaſio, indeſinenter nobiſmetipſis invigilare, ac jugiter noſmet abnegare debemus. Nihil autem nos magis mortificat, quam diutina cura, & perſeverantia; hoc bellum eſt naturæ quaſi non ferendum; melius dicam, hæc jugis eſt mors.

In parvarum, magnarumque rerum judicio facile fallimur.

In eo, quod de parvis, magniſque rebus judicium ferimus, facile decipimur, non quod pro magnis eas capiamus, quæ per ſe parvę ſunt, ſed quod pro parvis eas ſumimus, quæ in ſe magnæ ſunt. Facile, Sanctus Bernardus ait, nugas arbitramur ea, quæ ad ſalutem noſtram maxime pertinent; leve crimen putamus, quod reipſa grave eſt, ac mortale; & videmur ignorare velle nequitiam actionum, ne eorum ponderamus effectus.

Maximam rerum virtutem in minoribus complexus eſt Deus.

In Religione noſtra quid ſanctius eſt Sacramentis? In illis, ut ita dicam, Deus noſtram juſtificationem, robur, ſalutemque conſtituit; attamen quibuſnam ſymbolis ille pretioſa hæc, & prorſus divina dona contexit? Cuinam materiæ omnem eorum virtutem alligavit? *Infirma mundi elegit Deus*; illi ſane, quæ præ cæteris vulgatior eſt, atque abjectior; aquæ in Baptiſmo, oleo in Confirmatione, pani in Euchariſtia, & duobus, tribuſve vocibus in peccatorum omnium remiſſione. Hęc autem ipſa Dei Providentia a generali ad particulare deſcendens ſapientia, atque miſericordia ſua noſtram ſanctificationem modicis curis, quarum infirmitas noſtra potens eſt, voluit potius adnectere, quam heroicis actionibus, quę ſtuporem injicere poſſunt, & quibus non omnes ſunt apti.

Deo nonniſi parva poſſumus offerre.

Nihil ſumus, vel certe parum; nihil ergo magnum Deo poſſumus offerre, vel perquam raro hoc poſſumus. Hinc ſequitur, nos debere ſaltem ſæpe illi parva tribuere, ut quodammodo gratiam illi rependamus. Præterea cum fragiles ſimus, atque infirmi, magnas occaſiones neque cupere, neque poſcere debemus, nobis magnis tentationibus magnoque periculo futuros.

Quomodo intelligendum ſit, minuta officia violanda non eſſe.

Nihil periculoſius eſt, quam minuta negligere officia; videlicet quam conſulto ea violare, ac ſibi hanc tamquam vivendi rationem præſcribere; ſi enim hoc aliquando fortuito, vel ex infirmitate accidit humana, hoc eſt fidelium omnium fatum; ſed ea in propoſito ſenſu violare, hæc via eſt ad maximum flagitiorum omnium adducens; talis enim eſt cordis noſtri natura, ut tunc etiam cum ad perfectionem ſeſe conatur attollere, ſæpe infra ea, quæ debet, ſubſiſtat. Quid igitur erit, ubi mediocritatem ſervare velit, & unice illa adimplere, quæ in officiis ſuis ſunt eſſentialia?

Periculoſa illuſio eſt, velle Deo fidelem eſſe tantum in magnis.

Satis communis, ac plurimum periculoſa illuſio eſt, ſatis eſſe, Deo in rebus magnis fidelem eſſe, quin minimas curioſius conſectemur, & minuta vel Religionis, vel ſtatus noſtri munera adimpleamus. Ea vero vel potiſſima ratio nobis hoc perſuadere debet, quod niſi ea, quę communia ſunt perfecerimus, periculum adeſt, ne quid unquam propter Deum efficiamus: etenim occaſio efficiendi magna, ſeſe raro offert, & quotidie nobis ſuppetit frequens occaſio faciendi minora; ideoque iſta negligere, idem eſt, ac obire periculum nihil unquam faciendi. Adhæc attendendæ ſunt amoris proprii verſutię. Cum parva ſunt facienda, ea prætexitur excuſatio, rem levem eſſe, neque labore ſatis dignam; atque expectandum, donec majorum rerum occurrat occaſio; cum vero magna facienda ſunt; tunc deficit animus, eaque difficilia cenſentur. Itaque ſuperbia minoribus, infirmitas vero noſtra majoribus adverſatur, & nihil penitus agitur.

Magna ſcandala ut plurimum ex minorum criminum negligentia proficiſcuntur.

Undenam, quæſo, proficiſcuntur ſcelera, quæ ſcandalum afferunt populo, & Religionem dedecore afficiunt, niſi ex tenui principio, & quod leves defectus primum ſtatim ſatis formidati non ſunt! Quid in ſpeciem levius, quam curioſitatis peccatum; attamen nonne hæc prima cauſa fuit, propter quam tot mala Davidi, ac Dinæ acciderunt? Nonne ille proximo & decus, & vitam eripuit, eo quod ſeſe objecit voluptati videndi; hęc vero nonne propriæ honeſtatis jacturam fecit, eo quod ſe trahi paſſa eſt voluptate, & alios, & ab aliis videndi? In tentatione quidam eſt progreſſus; qui malum diſſimulat, ac tegit, ejuſque partem tantummodo oſtendit. Primum quidam audire, vel videre tantum deſiderant, neque intelligunt, ita virus gliſcere, mentem falli, cor illaqueari, conſcientiam corrumpi, ac tandem fieri quod numquam faciendum eſſe putabant.

Ob levia errata in gravia lapſus fit ſcelera.

Exiguarum rerum negligentia ſenſim in malum progredimur. Primum quidem longas conſectamur ambages, longoſque circuitus, qui ſemper in funeſtum hunc decidunt finem. Pedetentim in via iniquitatis progredimur, at tandem in abyſſum ruimus. Poſt omnia vero quid intereſt quonam modo eo perveniatur? Nonne æque perimus, ſi vel fluctus navim repente deglutiant; vel aquæ guttatim per fatiſcentem carinam immiſſę eam repleant?

Levia mala fiunt magna per eam negligentiam, qua corriguntur.

Quemadmodum auſteri ſpiritus error eſt minimas quaslibet fragilitates ſcelera putare; ita cordis ſibi blandientis illuſio eſt credere poſſe ſemper fragilitatis excuſationem afferri, ubi ea negligitur medicina, quæ ſi modicum attentionis, & curæ adfuiſſet, facile potuiſſet adhiberi. Sæpe impetus, ac affectus noſtri furor, vel noſtræ infelicitatis magnitudo cauſa ſunt, & quodammodo infirmitatum noſtrarum excuſatio; ſed adfectata negligentia malum incipit, ejuſque progreſſum producit, ac tandem medicinæ contemptu efficit incurabile.

Deus magna proponit præmia rebus exiguis.

Cum ſingulis ſua obeunda ſint munera ſive magna illa ſint, ſive parva ſecundum menſuram gratiæ, quam quiſque recipit a Deo, quantumvis humile, abjectumque ſit quod illi puro, rectoque corde offertur, Deus tamen ingenti ſemper illud mercede remuneratur. Quorſum iſtud? Quia actiones licet minimæ, atque communes unionem quamdam habent cum infinitis meritis Jeſu Chriſti? Noſtrę lacrymæ noſtręque ſolæ afflictiones nihil ſunt; ſed hæ lacrymæ, & afflictiones cum Salvatoris noſtri gratia conjunctæ plurimum merentur: Non ſecus ac flumina in mare ſeſe exonerantia, ſuum nomen amittunt; ſed ut Apoſtolus inquit, *Æternum gloriæ pondus operantur in nobis*. Preces noſtræ, ſuſpiria, in maxime communibus officiis obeundis diligentia modicum quid ſunt; ſed hoc modicum in Deo permanet tamquam abditum ſemen, cujus fructus eſt ęternitas beata: *Semen æternitatis*, S. Bernardus inquit.

a *ad Cor.* 4.

Deo in minimis fidelem eſſe, magna fidelitas eſt.

At enim parvæ res ſunt parvæ; verum eſt, Sanctus Auguſtinus ait; ſed magnæ fidelitatis nota eſt in minimis fidelem eſſe; & addere poſſumus, fidelitatem, quam debemus Deo hanc diligentiam expoſcere; & amovendum eſſe non id ſolum, quod illi diſplicere poteſt in nobis, verum etiam id, quod ipſis ſatis placere non poteſt: prę terquamquod non multum requiritur, ut offendatur, quemadmodum in Canticis quæritur, ſibi vulnus allatum fuiſſe ab uno crine Sponſæ ſuæ, hoc eſt ab uno affectuum, ab uno defectuum, ab una imperfectionum, inani cogitatione, exigua levitate.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & nuperis Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quodammodo magis a gravibus, quam a le-

MIrabile quiddam, atque inauditum dicere audeo: Solet mihi nonnumquam non tanto ſtudio magna videri peccata eſſe evitanda, quanto parva, & vilia: illa enim ut averſemur, ipſa peccati natura efficit; hæc autem hac ipſa re, quia par-

BIBLIOTECA CENTRAL

vibus criminibus cavendum.

parva ſunt, deſides reddunt; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generoſe inſurgere. Unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia noſtra . . . . Hac via omnia ſcelera fieri videbis. Nemo enim repente ad extremam improbitatem inſiliit. Habet quippe inſitum quemdam animo pudorem, atque innatum, quem ſubito calcare, atque projicere non poteſt; ſed ſenſim, atque paulatim ex negligentia perit; hoc pacto etiam idolorum cultus aditum invenit, cum ultra quam oportet, vivi, ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto ſimulacra, & ſtatuę adoratæ ſunt, hoc pacto denique fornicatio, & cætera vitia dominantur .... Nullus igitur frivola ſeſe illa ratione conſoletur, qua univerſa protervitas in animam inducitur: illa inquam ratione nullus utatur dicens, quid hoc eſt, aut illud? Mille certe hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum Diabolus cum ſit, magna malitia, multa opera, ingenti ſtudio condeſcenſcioneque nonnulla ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit ... Repellenda igitur malorum initia ſunt. Nam etiamſi ad majora prima non progrederentur peccata, non eſſet tamen negligendum: nunc vero per iſtam incuriam gradatim ſemper aſcendunt, quapropter omni ſtudio, atque opera funditus principia peccatorum ſunt evertenda. *Ex Homilia Sancti Chryſoſtomi in cap. 27. Sancti Matthæi.*

Minores evitare noxas non religionis tantum conſilium eſt, ſed omnibus eſt neceſſarium.

Cum vobiſcum loquor de minimarum rerum cura, ac vobis probandum aggredior ſaluti noſtræ periculoſiſſimum eſſe leviora contemnere mala, pariterque minimas etiam actiones pietatis contemnendas non eſſe; nullus dubito quominus plures in me ſubiraſcantur, ac me corripere velint, quaſi nimis arctam, atque ſupra eorum conditionem poſitam morum diſciplinam illis præſcribere velim. Hic ſermo, inquient illi, ad Religioſos pertinet, qui perfectionis ſtudio vacare debent, quam voverunt; vel ſaltem ad pios homines illos, qui in mundo vivunt, quin de mundo ſint, & qui omnes penitus voluptates, & ſæcularia negotia abdicarunt, Deo unice vacaturi. At nimis a vulgo fidelium exigit, qui ab illis eam expetit diligentiam, quæ ſtatum illorum videtur excedere. Adnitantur illi nobis peccati horrorem immittere; doceant eſſentialia Religionis officia adimplere; hoc noſtrum eſt, & fortaſſe etiam ſupra nos eſt. Pauliſper, auditores, adhuc, hæreat judicium veſtrum; veſtra pauliſper ſubſideant præjudicia, vobiſque palam probabo nullum eſſe tam leve malum, quod ſumma cura, ſtudioque non ſit evitandum. *P. Girouſt in Quadrag. Sermone de minimarum rerum cura.*

Mala, quæ hæreſes pepererunt, ab exiguis orta ſunt initiis.

Quot mala in Eccleſia Dei peperit hæreſis? Infernalis hic ignis in una Provincia ſuccenſus brevi in finitimas ſeſe effudit; de regno migravit in regnum ac tranſitu ſuo omnia late vaſtavit, immo trans maria etiam perniciſſime pervolans, quam ibi peperit vaſtitatem? Quæ etiam nunc quotidie infert mala quin tot Apoſtolicorum virorum ſollicita cura, atque tot Martyrum ſanguis flammam hanc potuerit extinguere? Immanis hujus conflagrationis inquiramus initia; & ſæpe liquebit hæc incendia ex levi orta eſſe ſcintilla, ex invidia ſecreta, quæ unius hominis pervaſit animum ex æmulationis ſtudio, ex acerbitate, aut odio aliquo, vel ex docendi, famamque ſibi comparandi cupiditate, quas parvulæ occaſiones aluerunt, roborarunt, & ad extrema uſque protulerunt. Heu! fratres, Sanctus Jacobus inquit, *Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit!* Utiliſſimum profecto Principibus, Eccleſiaſticiſque Superioribus documentum, quo monentur maturato quaſdam opprimere contentiones de doctrina, & de Religione, unde ſeditiones oriuntur æque & Eccleſiæ, & Reipublicæ funeſtę. *Idem.*

Jacobi 3.

Mali effectus rerum minimarum in moribus.

Minimorum malorum funeſti exitus in moribus adhuc graviores ſunt, atque vulgatiores. Vides duas familias ſeſe invicem ubique laniantes, & quotidie ultro citroque ſibi novum faceſſentes negotium, ſeſe mutuis litibus, quæ nullum finem ſunt habiturę, provocantes. Quomodonam huc evaſerunt? Propter nihilum, ſi ita loqui fas eſt; ob leviſſimas cauſas, & ſimultates, quę nimis diu nutritæ fuerunt; ob aculeata quædam verba, quę paulo frequentius exciderunt, ob ſuperbum, ac indignantem oris habitum, ob aliquem iræ impetum, ingeniique libidinem. Hac origo fuit divortiorum, quæ graviſſima ſcandala pepererunt, odiorum, quæ numquam potuerunt extingui, calumniarum atrociſſimarum, atque graviſſimarum ultionum. *Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit!* Vides mulierem illam turpiſſimæ libidini addictam, cujus fama deplorata eſt, quæ ſexcentis uritur moleſtiis, angoribus, quæ vicies pœnitentiam aggreſſa, eam reliquit, & nulla umquam ratione a flagitioſo vivendi genere potuit avelli? Verum quomodonam putas illam in abyſſum hanc proruiſſe? Pręterita gradatim repetamus tempora, ac ad illud tandem perveniemus, quo modeſta erat, honeſta, pudibunda; ſed imprudens oculorum conjectus, ſed obſcœnus liber, ſed inepta curioſitas eam perdidit. At ne putes illam ſtatim omnem penitus verecundiam abjeciſſe, Sanctus Bernardus ait, ac ſtatim ſeſe graviſſimis ſceleribus abdidiſſe. Nemo fere illico vel omnino peccator fit, vel ſanctus omnino. *Nemo repente fit ſummus.* Hæc veteratoris hoſtis noſtri ars eſt, animæ adhuc innocentis rationem habere, ac efficere ut ſenſim progrediatur in vitia, ne illam exaſperet, ſinatque, ut ſeſe colligere valeat. Primum quidem indumentorum modeſtia laxatur; blandis vocibus præbentur aures, eiſque gratæ vices rependuntur. Ad aliquam licentiam mox fit deſcenſus, cujus nihilominus pudet, & quæ animum torquet. Mox vero audetur, & quid inde tentatur? Dicam melius, quid inauſum, intentatumque relinquitur? *A minimis incipiunt, & in maxima proruunt. Idem.*

Bernard. de ord. vit. & mort.

Occaſiones magni aliquid faciendi obviæ non ſunt; obviæ tamen ſunt parvas actiones bonas faciendi occaſiones.

Magnæ occaſiones, quæ magnis actionibus aperiunt viam, pleriſque numquam ferme occurrunt; certe ſæpe non accidunt. Velle igitur tunc bene agere; ubi adeo infrequentes ſeſe occaſiones obtulerint; hoc nonne eſſet penitus virtutum ſtudia deſerere, eaſque numquam velle exercere? Num, qui hoc fecerit, ſalutem ſuam operatur, cœlumque adipiſcitur, nihil efficiens, quo illud promereatur? E contra vero parvæ occaſiones exercendæ manſuetudinis, humilitatis, patientiæ in ſingulos ferme gradus occurrunt obviæ, & in ſingula ferę momenta ſeſe nobis offerunt. Ideoque hoc eſt ex vita ſua jugem pietatis exercitationem efficere; hoc eſt virtutum habitus actibus earum millies repetitis acquirere; hoc eſt opus opibus aggerere, & qualibet die pretioſum meritorum noſtrorum theſaurum augere. Licet igitur parvo haberentur in pretio parvæ virtutis actiones propter ſuam qualitatem, videlicet, quia parvæ ſunt, numquam tamen ſatis æſtimari poſſent propter quantitatem, videlicet quia frequentes ſunt, cumque ultra numerum ad mortem uſque repetitæ ſint, nos in tumulum inferunt divinis benedictionibus affluentes. *Idem P. Girouſt.*

Fallitur, qui putat minima eſſe negligenda, ut majoribus opera navetur.

Apage fallacia præcepta, quæ fortes quidam ſpiritus ferunt, & quibus ipſi mordicus hærent: ſtudium omne reſervandum eſſe pro magnis occaſionibus; illuſtre factum ſexcentis aliis præſtare; reliqua vero nugas eſſe, ac moras inutiles. Falluntur illi; iterum dico, graviſſimo errore decepti falluntur. Victoriæ a Samſone de Philiſtiim relatæ non ad lacertorum ipſius robur, neque ad rei militaris ſcientiam, neque ad eorum virtutem, quorum opera utebatur in præliis, ſed ad capitis ejuſdem capillos, quos propter explicitum Dei mandatum, vel ſecundum Nazaræorum conſuetudinem, nulla novacula, vel forfices nullę ſecuerant, ſunt referendæ. Victoria, quæ tibi de ſalutis tuæ inimicis referenda eſt, vulgo minime pendet neque ab elatis mentis tuæ luminibus, neque ab indiciis invictæ conſtantiæ a te præbendis, ubi ſeſe offerent occaſiones, quæ fere numquam occurrunt. Hæc ſalus tua capillis tuis eſt alligata, videlicet minoribus vitæ tuæ exercitationibus, dummodo ſecundum Evangelii regulas, & cum Chriſtiano ſpiritu fiant. *Idem.*

Cum minimarum rerum cura negligitur, cura ſuæ perfectionis negligitur.

Statim ac flocci eas facis leves infirmitates, quas in naturę tuę infirmitatem, & cordis tui fragilitatem rejicis, jam tibi ſtatum ſimplicis probitatis, hoc eſt negligentiæ concinnas: jam levibus lapſibus non turbaris, neque pervenies unquam ad eum ſtatum, quo Dei ſpiritus te clamare non ceſſat, hoc eſt perfectionem. At perfectus eſſe juberis; adniti enim, ut perfectus fias, & perfectionem acquiras, officium eſt, a quo Fideles exſolvi non poſſunt; igitur ex quo ad ea teneri te tantum putas, quæ palam in præcepto explicita ſunt, ad hanc perfectionem adipiſcendam non conaris; & hæc diſpoſitio nequaquam conformis eſt voluntati Dei præcipientis, ut omnes perfecti ſimus, ſinguli tamen ſecundum ſtatum ſuum. *Ex ſermone de levium criminum fuga, qui P. Maſſillon eſſe perhibetur.*

Qui levia negligunt errata commentitiæ charitati confidunt.

Charitatis proprium eſt malum, quod facit, amplificare, bonum vero, quod item facit, imminuere; & enormia ſcelera putare eas noxas, quæ infirmitatis humanæ effectus ſunt. Hinc juſti ſemper ſe veluti peccatores putant, atque omnibus fratribus

ſuis deteriores. Attamen commentitiæ huic charitati confidis; hæc tua imminuit in oculis tuis flagitia, & bona, quæ operaris, amplificat; hinc putas leves haſce infidelitates labem non offundere integritati tuæ, & gratiis, quibus cumulatus es; hinc levia errata contemnis. At neſcis verum charitatis caracterem eſſe perpetuam humilitatem, de te, deque optime factis ſuis diffidentiam, ſanctamque ambiguitatem, propter quam anima juſta dubitat, utrum in gratia ſit, & ſingulis momentis de ſua ſalute ſollicita contremiſcit? *Idem.*

Deus nobiſcum agit, ut nos ipſi cum illo.

Ingredere in judicium cum Deo tuo, & vide, utrum ejus agendi ratio injuſta ſit; quo magis illi placere ſtudes, eo magis te proteget; negligis omnes fervoris occaſiones, quibus tuam illi fidem teſtatam facere potes; ipſe quoque viciſſim priſtinas amoris, ac benevolentiæ notas denegat tibi. Rationem cum illo inis, quid illi debeas; ac in eo cura omnis verſatur tua, ut variis, quæ de te Deus habet, conſiliis, limites ſtatuas; dicis illi, uti olim inutilis ille ſervus; tolle, quod tuum eſt; nonne convenit tibi mecum de opera a me tibi præſtanda? Deus vero tibi amplam illam negat mercedem, quam tuę fidelitati ſpoponderat. Num ægre ferendum tibi eſt, quod Princeps, & Dominus, in cujus manibus ſortes tuæ ſunt, tecum agat quomodo tu cum illo, cujus ſervus es, & creatura? *Idem.*

Leves infidelitates ad majora ſcelera ſternunt viam.

Non ſolum leves hę infidelitates ſemper deſinunt in ſcelus; ſed ſcelus etiam viam ſibi ſternit in cor, quod illas ſibi licere vult; ac fere nullum obicem invenit; etenim in his iteratis infidelitatibus, eo uſque proceditur, ut omnis difficultas ſuperetur, quin ne percipiatur quidem, quomodo ſuperata fuerit; neque dæmon novo indigeat niſu, ut in inſidias ſuas cor illud detrahat, quod per ſe adeo diſpoſitum eſt. Hæc levia crimina in illud adeo proximas diſpoſitiones ſceleris jaciunt, ut ad minimam ſollicitationis auram pariat crimen, quin ne ipſum quidem, quem deglutit, fructum mortis agnoſcat; quod efficit, ut ſtatus iſte in quo quis eſt, eo fiat terribilior, quod gratię moritur, quin ne ſciat quidem; uſum habet ſanctarum rerum, at amittit opem, quam inde recipere poteſt, vult pœnitentię luſtralibus aquis emundari, ſed in recentes magis magiſque infidelitates immergitur &c. *Idem.*

Leves infidelitates ſunt cauſa majorum.

Repete malorum tuorum originem, eamque in levibus infidelitatibus, quas tu tibi licere vis, invenies. Oratio nimis neglecta origo fuit ferme imperceptibilis plurimorum aliorum ſcelerum. Primum quidem non aliud erat quam nubecula, quam vidit Elias; ſed nubes brevi ita percrebuit, ut illum, neque ſentientem, poſſet auferre. Lapillus erat ille, quem ſuper ingens illud Nabuchodonoſor ſimulacrum caſurum eſſe prædixerat Daniel; ſed tantus factus eſt, ut ſtatuam illam contereret, ac univerſum terrarum orbem magnitudine ſua exæquare videretur. Primum quidem non aliud fuit quam granum ſinapis humi ſatum, ſed mox ita crevit, ut avibus cœli præbere poſſet perfugium. Primum non aliud erat quam parum fermenti, verum ſatis fuit, ut omnem farinæ maſſam corrumperet. Numquam crediſſes levia hæc errata paritura fuiſſe malum illud, quod in corde tuo regnat. Hi ſunt gradus, per quos ſenſim in ima deſcendis. Memento unde excideris, neque leve cenſueris, quod recta ducit in pręceps. *Idem.*

Leves contemnuntur infidelitates, licet ſint periculoſæ.

Ne ſtatus ſui ſentiant infelicitatem, omnes putant culpa vacare quotidianas eas infidelitates, quas ſolum corruptionis pondus pietati inevitabiles efficit; eas ſine ulla religione ſibi licere putant, ſine ullis conſcientię ſtimulis, ſine ullo correctionis conſilio. Hinc illa proficiſcitur negligentia, illa incuria, tepiditas illa in via ſalutis, quę tot mortales damnat alioquin cum virtutis ſenſu, pietatis ſtudio, ac ſanctis cœleſtis patriæ deſideriis natos. Attamen in minimis fidelem eſſe, nihil indulgere ſibi ex iis, quæ ad minimas pertinent infidelitates, hæc potiſſima eſt ad Chriſtianam pietatem diſpoſitio; hæc una juſtos facit, quemadmodum una facit, ut in juſtitia perſeveremus. Nulla vera pietas eſt ſine hac in minimis etiam obeundis officiis diligentia; neque affirmare vereor ſtatum hunc, ubi te ſalvum fore putas quaſcumque leves noxas ſine ulla religione tibi permittens, chimericæ ſalutis ſtatum eſſe, ubi nemo ad veram ſanctitatem pervenire potuit, & cujus, qui vere ſancti ſunt, nullum hactenus præbuerunt exemplum. *Idem.*

Nihil eorum, quæ probat vel reprobat Deus videri poteſt exiguum, & contemnendum eſt.

Cum Deus ille ſit, qui eſt, nihil eorum, quæ in pretio habet, vel quæ contemnit; nihil eorum, quæ amat, vel odit, parvum eſſe poteſt. Verum ſi ejuſdem æſtimatio, & amor, ut ita dicam, rebus pondus, ac magnitudinem tribuunt; majorem adhuc illis præbent ejus contemptus, & odium; etenim non metuere Deo injuriam, ac moleſtiam afferre aliquid majus eſt, quam eidem pro virili placere, ac inſervire. Verum ſciſne, has noxas quas nauci facis, ex eodem contemptu, quo illas negligis, fieri majores? Ne dixeris Dei magnitudinis non eſſe exigua curare; ejuſdem enim eſt, eos perſequi, qui illa, ubi a ſe fuerint imperata, neglexerit. Crederesne, nequaquam licere hujuſmodi negligentiam committere, licet inde totius terrarum orbis converſio eſſet conſecutura; & tantum hac boni numquam æquaturum eſſe id, quod exiguum malum appellat? *P. D'Ozenne libro, cui titulus Moralis Jeſu Chriſti, De levium criminum fuga.*

Incipiendum quidẽ eſt graviora eradicando vitia; at minora non ſunt contemnenda.

Profecto rectus ordo poſtulat, ut ex graviorum ſcelerum pugna ducatur initium; ſed mox & in leviora acies eſt convertenda; atque ob majus malum evitandum, ad bonum majus adniti opus eſt. Hæc negligentia, qua in tuis uteris officiis quæ minoris facienda cenſes, evertit ſæpe conſilium, quo Deus te ad eminentis perfectionis gradum cupiebat evehere, te enim indignum prębet hac gratia. Conſiderarene vales tamquam minutas res eas, quę adeo magnas prohibent? Si malum eſt privari bono, tot bonorum jactura levene tibi malum eſſe poteſt? At cur vis Deum tibi ſingulis horis inſignes conferre gratias, quibus te cumulare non tenetur, niſi illi obedire velis in iis tantum, quæ propoſita gravi pœna facere cogeris? *Idem.*

Fidelitas melius in minimis, quam in magnis elucet.

Sciſne fidelitatem in minimis rebus magis quam in maximis eniteſcere, ac Deum videri velle in illis remunerandis magnificum, quia largitas ejus ibi fulgidius elucet: *Parva petens maxima redditurus*, Sanctus Chryſologus inquit? Servi fides minus in quibuſdam rebus quę muneris ejuſdem ſunt, quam ex aliis quibuſdam exiguis curis, quibus nequaquam tenetur, deprehenditur; & filius melius ſuam Patri teſtatam facit reverentiam nihil faciens, quod illi vel minimum poſſit diſplicere, quam eidem in maximis rebus morem gerens. Sed alterum ex altero ſequitur. Jeſus Chriſtus ait: *Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis erit*, quemadmodum e contra qui in minimo infidelis eſt, erit & in magno infidelis. *Idem.*

Luc. 16.

Error eſt magnus tantum Dei gratias in pretio habere.

Graviſſimus error eſt arbitrari, eas tantum proprie vocari poſſe gratias, quę vulgo electæ, efficaces, aut victrices appellari conſueverunt. Si aliæ tibi videntur contemnendæ, iniquum ſane profers judicium, ac longe diverſum ab eo, quod concipis de primis Principis alicujus favoribus, qui tantum tibi gaudium, ac lætitiam afferunt; licet fortaſſe non aliud ſint, quam gratioſus occurſus, mite verbum, oculorum officioſa nictatio, os ad affabilitatem compoſitus. Dicis animam tibi nequaquam ſatis magnam eſſe, ut heroicum aliquid coneris; ſed fidelis eſto, tibimetipſi invigila, gratias, quas tibi dominus confert, excipe cum reverentia, & majores ille tibi, potioreſque conferet: efficiet, ut eæ tibi ſuboriantur occaſiones, ubi præſtantius virtutem exercere poteris, & quæ vires tuas minime ſuperabunt. *Auctor actionum Chriſtianarum. Sermone de S. Thereſia.*

Eæ res, quæ a nobis contemnuntur graviſſimos pariunt effectus.

Nequaquam ob enormia ſcelera in inferno vidit locum ſibi paratum S. Thereſia; hoc enim accidit ob neſcio quos vanitatis ſenſus, qui in mente illius inſurrexerunt, & a quibus ſatis ſibi non cavebat, ob quamdam vagam cupiditatem placendi, alioſque videndi, & ab aliis ſpectandi; ob quædam oblectamenta, quæ mundus facile permittit adoleſcentulis, quibus non deeſt, unde ſuam alant vanitatem, ob affectatas quaſdam officioſitates, in quibus non aliud quæritur, quam amori proprio ſatisfacere; ob lectiones quaſdam, quę quarumdam affectionum diſerte enarratarum textura alliciunt animum, & in mente vanam, ineptamque nutriunt curioſitatem. Hæc ea ſunt crimina, quæ hodie ad examen ne vocantur quidem, & nihilominus ſanctam hanc Virginem in ęternam demerſiſſent infelicitatem. Minora peccata ad majora viam pandunt. *Idem.*

Noſtræ ſalutis negotium ſæpe ex iis pendet, quæ nullius momenti videntur.

De ſalutis noſtræ negotio idem eſt ac de catena; complures gratiæ tamquam tot annuli ejus œconomiam conſtituunt; ſi primus defecerit annulus, reliqui labuntur, ſi primæ gratię infideles ſumus, ſecundę fideles non erimus. At ratio, qua dignoſci queant gratię, quas alię ſubſequuntur, ab illis, quas nulla conſequitur, quænam eſt? Oculorum noſtrorum acies nimis eſt infirma, neque poteſt hoc myſterium ſcrutari; & ideo aſſidue invigilandum eſt.

Pau-

BIBLIOTECA CENTRAL UANL